

tute territi hostes obsidionem , qua Mediolum
cinxerant, re infecta, soluerunt.

Iam cum proximis hisce annis quidam po-
tentest consilia contra Carolum imperatorem
nostrum, eiusque filium Philippum nescio, quae,
et Austriacae genti , et Germaniae nostrae per-
niciosa captarent: en tibi, eidem Philippo Bri-
tanniae regina atque haeres nubit: et , quo be-
neficio suo Deus clarissimam , sanctissimamque
feminam , eamque iniuria eorum, a quibus mi-
nime oportebat, oppressam ita extulerat , vt in
excelsa dignitatis gradu collocaretur, hanc cum
eodem Philippo ad perpetuam vitae societatem
coniunxit. Videmus iam , videmus principes
populi que Germani, Deum antehac Austriacam
gentem conseruasse ac ornasse mirabiliter : et
tantum bonorum atque potentiae iustae ad eam
detulisse, vt si vlla, huius certe potentia res Chri-
stianas prope ruentes fulcire posset. Et quan-
quam in iis cogitationibus , quae illam quietam
rerum nostrarum rationem procreationemque
complectuntur, magna cum delectatione animi
versor, nihilque opto magis, quam vt eadem res
sine sanguine et seruari et amplificari queant in
perpetuum : tamen , vt nunc sunt tempora,
optare id facilius, quam sperare possum , certe
vt maiorem in modum laetor, e nationibus po-
pulisque Christianorum tantas accessiones ad
potentiam gentis illius eo iure, quidem omnes
gentes approbant , factas esse: ita non possum

I 5

non